

19 Custos Carceris si negligat custodire debitorem carceratum, ita ut fugiat, ex quo Creditores præjudicium patiantur, tenetur ipse damnum refarcire, ex latè traditis per *Farinac. quest. Crimin. 31. num. 15. 16. 17.*, quod specialiter habet locum in negligentia, & culpa levissima custodis, propter rationes ibi consideratas.

20 Sicut custos, non teneretur ad pœnam seu refarcire pœnæ damnum, ex quo dominus, qui eum ad custodiam conduxit, non potuit consequi pœnam, ad quam damnificans teneretur, si fuisset denunciatus à custode, qua denuntiatione omiffa, fraudator non condemnatur, eo quia talis pœna non debetur nisi post sententiam, nec dominus, sive Fiscus habet ullum Jus ad talem pœnam, non emanata sententia; *Valerus de differentiis utriusque fori Vers. Restitutio differentia 39.*, sequitur ergo, quod licet custos peccaverit contra fidelitatem non denunciando, tamen ad pœnam ex hoc capite non teneatur: *Bonacina de restit. in genere d. 1. quest. 2. p. 11. num. 10.*, *Azor. dicto c. 16. in solutione quinti questi*, ubi in *Vers. (secundo dicendum)* affirmat tunc, non denunciando damnificare, & teneri ad damnum resultans, eo quia delinquens non condemnatur ad pœnam, quando eo pacto, vel juramento specialiter se obligasset denunciare, quia tunc teneretur ex justitia, & non denunciatus est principalis damnificans, undè teneretur ad pœnam in conscientia, licet qui physicè damnificavit non teneatur, nisi post sententiam condemnatoriam, sublato autem tali pacto, & juramento, custos tenetur solum ad damnum illatum, non autem ad pœnam debitam pro tali damno.

21 Confessarius negligens, seu omittens condemnare penitentem ad restitutionem, casu quo teneretur, peccat quidem, quia deficit in re gravi in iis, quæ spectant ad suum officium, attamen ex tali negligentia non tenetur ad restitutionem ullam Domino, cui facienda erat restitutio, etiam si Confessarius esset Parochus, quia tenetur quidem ex officio curare bona spiritualia, hac per hoc tenetur obligare penitentem ad restitutionem, quia hoc ad bonum spirituale animæ refertur, cum non deleatur peccatum nisi restituatur ablatum, ut est *Juris regula*, ad quam latissimè *Covaruvias*, non tamen ex officio tenetur curare bona temporalia; *Bonacina supra num. 15.* pluresque hinc inde allegati per *Dianam p. 2.*

*tract. 16. ressol. 1.*, dixi etiam (si sit Parochus), quia non defuerunt Doctores, qui existimaverint Parochum in eo casu teneri ad restitutionem, quia ex officio tenetur consulere bono suarum ovium omni meliori modo, & strictius, quam simplex Confessarius, qui ex sola charitate officium Confessarii assumpsit, Parochus verò ex titulo justitiæ, dum acceptando beneficium Parochiale, quasi contraxit cum sua Ecclesia de consulendo ejus demeritati, quæ sententia non est improbabilis, verum & satis probabilis est altera sententia teste *Lessio de Just. & Jure lib. 2. c. 13. sub num. 78. in fine*, quia & Parochus assumpsit curam animarum, ex suo quasi contractu, non autem curam bonorum temporalium, quod autem strictius teneatur ad talem curam, hoc importat, quod negligens magis peccat, quam simplex Confessarius, & quidem contra justitiam, quo ad spiritualia, non verò, quo ad temporalia, idè, & idem *Lessius eodem lib. 2. c. 9. num. 94.* explicando munera Episcoporum, & Parochorum dicit, eos teneri defendere oves sibi commissas, ne ab hæreticis pravis dogmatibus inficiantur, ne Sacramentis fraudentur aliisque spiritualibus auxiliis per Episcopum, & Parochum dari debitis, non verò, ne temporalibus spoliarentur adjumentis, & bonis: Quæ omnia vera sunt dum, influxu agitur negativo, ut ex nostro instituto agimus, secus si de influxu positivo ageretur, puta positivo judicio decernendo, aut consulendo, ne penitens restituat, quia tunc ad restitutionem, tam simplex Confessarius, quam Parochus teneretur, essent enim causa positiva damni proximi.

22 Famuli speciali Jure tenentur dominum defendere, ejusque bona tueri, dum absque gravi incommodo possunt, alias omittendo defensionem, graviter culpantur; & veniunt puniendi, eo quia præsumantur socii criminis, ratio est, dicit *Farinac. quest. 51. num. 27.*, quia comedunt panem sui domini, ab eo salarium recipiunt, conveniens est ergo, ut domini personam defendant, ejusque bona tueantur, verum nisi conducti sint hoc pacto, ut personam defendant, ut bona custodiant, neque ad restitutionem tenentur, quia sola suspitio societatis criminis non reddit eos de neglectis obnoxios restitutioni. Unum tandem advertendum, quod qui influxu negativo sunt causa damni proximi, cum sint cau-

sa ac.

sa accessoria, & non principales, tenentur restituere solum in subsidium, & in casu quo, causa principalis non restituat, undè principali restituente, accessoria ab hoc onere remanet soluta, quæ est regula generalis de obligatis ad restitutionem.

23 Milites, vel sint Officiales, vel gregarii si ex negligentia, vel pusillanimitate, vel socordia, omittant defendere Civitatem, Castrum, locum suæ curæ, & custodiæ demandatum, cum ad id teneantur ex justitia, sunt enim ad hoc mercede conducti, tenentur ad damna, quæ ex tali omissione sequuntur, *Lessius supra dicto num. 94.* quod, & de quolibet alio Magistratu dicendum est, cum eadem militet ratio, quod scilicet teneantur ex justitia defendere, & custodire rem sibi commissam, & hoc etiam cum periculo evidenti vitæ: *Lessius lib. 2. c. 9. num. 27.*, quod tamen secundum regulam prudentiæ est moderandum, dum scilicet moralis sit spes defensionis, quia si certa esset rerum deperditio, ut quando hostes in magno numero, & potentia invadunt, quibus milites dispositos ad custodiam ob paucitatem, aut defectum munitionum, cibariorum, armorum, aliarumque rerum ad defensionem necessariarum resistere non posse, sit moraliter certum, tunc cum inutile sit post sanguinem, vitam, & Castrum perdere, prudentia docet, vitam servare potius, quam cum vita rerum omnium jacturam facere, posse tamen si velint, etiam in eo casu vitam profundere, quia tunc est justa causa, & indirectè miles se ipsum interimeret, quod liceret; *Lessius supra dicto num. 27.*, quod tamen limitandum est, si Dux, vel præfectus Castrum, vel quilibet alius, esset satis in arte militari peritus, ita ut, vel ejus vita prodesse satis posset, & è contra ejus mors multum obesse, tunc pro bono communi Republicæ deberet se ipsum servare, quantum sine dedecore fieri posset.

24 Dux exercitus, vel cohortis tenetur obviare delictis, per milites committendis, quantum fieri potest, quia cum ipse imperet cæteris, ex officio, tenetur pariter eorum devitare delicta, ita post *Pacham in epitome delictorum c. 20. num. 30. ad finem*, *Farinac. dicta quest. 51. num. 48.*, hinc *Bartol. in l. illicitas ff. de officio Præsidis* dixit, quod si potestas, vel Officialis videat rixantes, & non mittit familiam, licitè propter hanc causam possit deponi, aliosque ad id allegat *Felin. in c. Quan-*

ta sub num. 2. de sent. excom.

25 Si Nauclerus pariter ex incuria, somno, otio, negligat dirigere navem, illaque pereat; tenetur refarcire damna, quæ exinde viatores, aut mercatores patiuntur, quia tenebatur ex contractu dirigere navem, secundum peritiam artis: *Cagnol. in l. Culpa caret sub num. 5. ff. de reg. Jur.*, tenetur enim Nauta non solum de dolo, sed de lata, & levi culpa, sicut omnes, qui ex contractu, vel quasi contractu tenentur; *Valerus de differentiis utriusque fori in verbo restitutio differentia 6.*

26 Advocatus, & Causidicus, cum sint mercede conducti ad patrocinium dam litem, si negligant ea, quæ pro bono exitu causæ sunt necessaria, ut ex tali negligentia sequatur damnum Clientibus, tenentur ad restitutionem; *Valerus de differentiis utriusque fori Vers. obligatio differentia 3.*, Quod idem valet de Medico eadem ratione, quia est mercede conductus, quod in foro conscientiæ certum est, licet in foro externo dicat *Valerus supra num. 2.*, nunquam vidisse, aut Advocatos, Procuratores, aut medicos ad refectionem damnorum condemnatos.

27 Subditi non solum temporales, sed & spirituales, qui forsitan veriori vocabulo, dicuntur filii spirituales, speciali juris obligatione tenentur proprium Superiorem, vel Patrem spirituale defendere, alias ad damna ex Juris dispositione puniuntur, ideoque Paretiani non defendentes proprium Parochum, si percuteretur ab aliquo, excommunicantur, ac si ipsi manus violentas iniecerint in eum *c. quantè de sent. excom.*, & de filiis spiritualibus pluribus allegatis *Farinac. dicta quest. 51. num. 30.*

28 Viceversa Domini scientes subditos velle delinquere, puta occidendo, percutiendo, rapiendo, furando, ita & Patres filios non impediunt, si possunt, & quantum possunt, tenentur ad emendationem damni *tex. est in l. 2. ff. de noxal. act. ibi (si servus sciente domino occidit, insolidum dominum obligat, ipse enim dominus videtur occidisse)* aliis allegatis, *Farinac. dicta quest. 51. num. 40.* ubi *num. 44.* limitandam esse hanc propositionem, dicit ad casum solum, quando subditi, aut filii delictum erant commissuri in gratiam Domini, aut Patris, idest ad vindicandam, injuriam illatam Domino, aut Patri tunc teneri secus verò si delictum faciendum non erat

L 2

pro-

propter respectum ad Dominum, vel Patrē, verūm *Gomez.* alique ibidem allegati *nu. 45.*, & 46. fenserunt, semper Patrem teneri corripere filios, eorumque delicta impedire, si possit, ita & Dominum respectu subditorum, etiam si non ad eorum vindictam subditi, aut filii essent commissuri delictum, quia non propter suum interesse tenentur subditos, & filios emendare, sed quia eos habent in potestate, & prohibere possunt, & quasi ex officio tenentur, & ita intelligit *tex. in c. quantæ de sent. excom. Abbas num. 7.*, ubi sequendo aliam lecturam, quod scilicet dolose non obviet, cum possit, secus verò si ex mera negligentia sine dolo, quod ex eo probat, quia cum in dicto *c. quantæ* agatur de incurrenda excommunicatione ob violentas manuum injectiones in Clericum, & hæc non incuratur nisi manus injectio fiat suadente diabolo, quod dolum importat, sequitur, quod tanto magis requiratur dolus in influente in Clerici percussione influxu merè negativo, non impediendo, non obstando; utrum verò in eo casu præsumatur dolus in non impediendo, dubitat ibi *Abbas*, & *Andreas Barbati* dicit, quod si non impediens ivit cum aggressore, tunc certè præsumitur *c. sicut dignum §. illi etiam de homicid.*, si verò casu fuit præsens multi negat præsumi dolum in non impediendo, licet *Abbas* inclinet in sententiam, quod præsumatur, ex *textu in eod. c. quantæ.*

29 Qui potest impedire commodè, ne aliqui errent in fide, putà ne hæreticus dogmatizet, vel publicè, vel privatè, ne alii conveniant ad eum audiendum, & similiter ne pravis doctrinis moralibus decipiantur, & in

errorem trahantur, & non impediatur, quantum potest, certò gravissimè peccat contra charitatem in re gravissima *c. 2. de hæreticis*, ubi *glos.* assignat discrimen inter crimen commissum, & committendum, nam in primò soli Prælati; in secundò omnes fideles, qui possunt, tenentur corrigere, & impedire, & ibid. *Barbosa num. 3.* ad quod etiam emanavit præceptum denunciandi inquisitoribus *Farinac. q. 199. num. 35.*, *Carena de Sancto Offitio p. 2. tit. 9. num. 1. & seqq. 5.* ubi allegat illud *Deuteronomii c. 13. Vers. 6.* *cod. de hæreticis*

30 Subditi non revelantes conjurationem in Principem, Patriæ prodicionem, gravissimè puniuntur, quia non solum ex charitate, sed ex justitia tenentur, ut latè *Farinac. dicta q. 51. num. 54. & 55.*, & 69. per *tex. in l. quisquis §. id quod C. ad l. Juliam Majestatis*, quod etiam habet locum in aliis atrocioribus delictis, & videndus est *Farinac. ab eod. num. 69.*, & *seqq.*, ubi ad effectum infligendi pœnam istis omittentibus revelare conspirationem in Principem, vel Patriam, attendendum esse, num potuerint delictum probare, vel non; quia licet semper teneantur revelare, tamen non semper eandem pœnam mereantur, & *num. 79.* quod solum Subditi tenentur ex justitia crimen revelare, non subditi verò, tantum ex charitate, limita tamen in Confessario, qui in confessione novit à penitente prodicionem imminere, vel etiam hæreticum dogmatistam, non enim debet omninò revelare, quia hoc non novit, ut homo, sed ut *Deus c. si Sacerdos de off. Ordin., c. Dilectus de excess. Prælat., c. Sacerdos de penit. d. 6. c. omnis de penit., & remis.*

## ARTICULUS XXIII.

### De Negligentia ad inferendam excommunicationem requisita.

**P**ro negligentia, excommunicari posse negligentem, est *tex. in c. Placuit xi. q. 3.*, ita & suspendi, sicuti, & degradari *c. dictum est dist. 81.*, & tetigimus supra *art. 15.*, in quo tamen examinavimus de Irregul. modo quod ad difficultatem controversatur est, an excommunicatio, cum sit pœ-

na medicinalis *c. inter hæc in fine 33. q. 2.*, *c. cum medicinalis de sent. excom. in 6.*, *Covaru. in c. Alma mater. p. 1. in principio num. 9.* *Sayr. de censur. lib. 1. c. 3. num.* Solum pro futuris culpis debeat ferri, vel etiam possit pro præteritis; nam in *c. Romana de sent. excom. in 6.* Pontifex videtur dicere, excommunicationem latam esse pro præterita culpa, tamen ut bene expli-

explicat *Barbosa ibid. num. 6.* lata fuit pro futura, quæ tamen habuit fundamentum in præterita, idèd quandoque excommunicatur Concubinari de præterito, sed nisi dimittat concubinam, excommunicatur fur, aut occultans bona, scripturas &c. quod est de præterito delicto patrato, sed nisi restituat, revelet &c. undè dictio (*Nisi*) importat delictum futurum negligentia, & omissionis, quæ negligentia, & ommissio in delicto præterito, vel etiam præterito, non potest cadere, ac propterea deficiente tali negligentia, excommunicatio est injusta, licet valida, ex pluribus allegatis per *Barbosam in c. Sacro nu. 5. de sent. excom.*, ratio est, quia ad excommunicationem incurendam requiritur contumacia contra censuram; *Bellet. disquis. Clerical. tit. de favore clerical. canon. §. 4. num. 20.*, & *seqq.*, *Barbosa in d. c. Sacro sub num. 5. de sent. excom.*, & in *c. Romana num. 4. de sent. excom. in 6.*, & ex hoc canones prærequirunt monitionem *c. Sacra de sent. excom. c. omnes decime*, ubi *Barbosa num. 2. 16. q. 7.*, *Alterius de censuris disp. 1. lib. 4. c. 1. Vers. Probatur hæc opinio, & disp. 3. lib. 3. c. 1.*, & tandem *Trid. sess. 25. c. 3. de reformatione*, ibi præcedente saltem bina monitione, quæ contumacia dari non potest in delicto omninò præterito, vel præterito, sed tantum in futuro ex pluribus allegatis, discusso hinc indè articulo, *Barbosa in c. Repræbensibilis num. 3. 4.*, & 5. de *appellat.*, quod enim faciendum est, ab homine potest fieri, vel omitti, sicque omittendo, & negligendo contingit contumacia contra præceptum sub censura, de præterito verò, præterito, non contingit talis libertas, quæ solet definiri à Theologis (*indifferentia ad utrum libet*) ex quibus satis clarè colligitur, quod solum ferri debeat excommunicatio pro futuris culpis, sunt tamen aliqui *tex.*, qui videntur facere in contrarium, quorum solutio videnda est apud *Barbosam in d. c. Romana*, & magis firmatur ex definitione contumacia, quæ est ommissio eius, quod quis jubetur facere, *Sayrus de censur. lib. 2. c. 18. num. 15.*, & *lib. 5. c. xi. num. 16.*

2 Deinde excommunicatio, cum sit pœna medicinalis, ut dixi à principio, medicinalis hæc non potest prodesse ad tollendum delictum præteritum, nisi per futuram, & subsequenter pœnitentiam, vel ad præservandum, ne iterum in illud cadat, ad hoc ergo infligitur excommunicatio, vel ut ad pœni-

tentiam de præterito delicto inducat, vel ut à futuro præservet, ad quod *Sperell. decis. 48. sub num. 14. Vers. Ex hac enim omissione, & Vers. Et hic obiter*, notat monitionem ad hunc effectum, multum differre à citatione, quæ vocat citatum ad causam, at monitio fit, ut quis à cepto desistat, vel pareat &c. ut cogatur dimittere adulteram, restituere ablata, quam si non dimittat, nec ablata restituat, pro hac culpa futura in omittendo excommunicatur. Hinc est, quod excommunicatio numquam imponitur in vindictam, ut notat *Innocentius in c. 1. de excessibus Prælat.*, & facit illud *Mathei c. 18. relatum in c. Nemo q. 3. Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus.*

3 Quæ omnia benè colliguntur ex præcitate *c. Romana de sent. excom. in 6.* ibi, vel etiam pro commissis sub hac forma, si de illis infra tale tempus minimè satisfecerunt, proferre præsumant, nisi mora in exhibenda satisfactione præcesserit, ex quibus constat, quod excommunicatio imponitur solum propter negligentiam futuram radicatam, tamen per sepe in delicto præterito, vel præterito, *Bellet. disquis. Clerical. p. 1. tit. de favore cleric. can. §. 4. num. 26. Turrecrem. in c. Episcopi si sacerdotali xi. q. 3.*, ubi quod causa immediata est contumacia, mediata verò sunt alia crimina; Quod intelligitur de excommunicatione quæ est ab homine, & casu quo Judex negligeret hunc ordinem in ferenda excommunicatione, idèd non præmitteret monitionem, esset reus gravioris culpæ, quia proximum in re gravi læderet, adnotata per *Alterium de Censur. lib. 3. d. 3. c. 1. Vers. Id constat*, ubi in *vers. (solent autem)* resoluit pariter monitionem esse præmittendam, quando Judex procederet, ut privata persona, & tamquam pars ad defensionem suæ Jurisdictionis, licet non desint contrarium tenentes, *Bellet. disquis. Clerical. part. 1. tit. de favore clerical. canon. §. 4. num. 29.* pluribus ibi allegatis, quorum sententia potest habere locum in delicto notorio, ut quando quis injustè resistit Episcopo visitanti, ne Jure suo in visitatione utatur, licet etiam tunc Episcopus præcipiendo, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrenda, ex vi præcepti taliter facti, per aliquod tempus, etiam si breve assignatum ad desistendum ab impedimento, constituat in mora ipsum resistentem, & impediendum, sicque ille fiat negligens, & contumax, & quod